

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Meditationum evangelicarum pars secunda, hoc est:
Solida, ad discendam & exercendam, ex evangeliis tam
dominicalibus quam festivalibus Christi & sui-ipsius
notitiam, informatio**

Creide, Hartmann

Francofurti ad Moenum, 1682

Exordium

[urn:nbn:de:bsz:31-126164](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126164)

militante Ecclesiâ voluptate afficiuntur, fideles ecclesiæ ministri, tanquàm angeli pacis, Esa. 33. vers. 7. quando deprehendunt, quod labor suus non sit inanis in Domino, 1. Cor. 15. v. ult. sed velociter currat sermo suus, Psal. 147. v. 15. faciens fructum, aliud centuplum, aliud sexagecuplum, aliud verò tingecuplum, Matth. cap. 13. v. 23. Ovant omnes pii Christiani, quando cernunt, gregem pusillum Electorum indies augeri, eosq; certatim è Diaboli regno, rictuq; liberari.

Quantâ verò lætitiâ triumphare censeatis, Beatum electorum chorum in cœlis, quando anima respiciens, corporeis vinculis exuta, ab angelis in Abrahæ sinum deportatur, Luc. cap. 16. vers. 22. Hanc sanè oculus non vidit, auris non audivit, nec in cor hominis illa adscendit. 1. Cor. 2. v. 9.

Largiatur eandem nobis ex gratiâ,
Deus Opt. Max. per Christum,
Amen!

Dominica IV. post Trinitatis.

Evangelium, Luc. 6. v. 36. --- 42.

EXORDIUM.

IN aulâ Ahasveri, peculiaris *custos gynæcæi* constitutus fuit, nomine Hegai, sub cujus manum quoque formosa Esther, assumpta est. Et Hegai festinavit cum emundatione ejus, & ut daret ei partes ejus, & septem puellas elegantes daret ei de domo Regis, & habitare fecit eam, & puellas ejus in bono loco Gynæcæi, donec tempus adveniret, ut intraret ad Regem, Esther. 2. v. 8.

Hæc historia elegantem *Allegoriam* nobis subministrat.

Esther hîc imago est omnium Christianorum in his terris: Quemadmodum enim illa patre & matre orba erat, nihilominus tamen Deus benignè eandem respiciebat, & flecebat cor Ahasveri, ut ipsam regiâ coronâ ornaret, & loco superbientis Vasthi in Reginam eligeret: sic & nos quasi pupilli facti sumus, absque patre: matres nostræ, quasi viduæ, Thren.

cap. 5. vers. 3. Sed Deus in gratiam nos assumpsit, & ad tantam dignitatem provevit, ut jam simus genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, 1. Petr. 2. v. 9. Quamdiu enim in hoc mundo vivimus, coronat nos ut scuto bonæ voluntatis, Psal. 5. v. ult. Quando verò beate in Domino moriemur, imponet nobis coronam vitæ, Apoc. 2. v. 10. & cum eo regnaturi simus mille annos, h. e. in æternum. Apoc. 20. v. 4.

Hoc *Christo acceptum ferre* debemus, qui verus est custos hominum & Hegai, Job. 7. vers. 20. qui etiam festinat cum emundatione nostrâ, dum sanguine suo nos lavit, vestimentisque salutis ita induit, ut quasi sponsus sacerdotali ornatu, & quasi sponsa ornata monilibus suis, exultare possimus, Esa. 61. v. 10. Magnum ad hoc adjumentum contulit, variis præceptis salutaribus, & vitæ regulis, quas nobis

in

in Evangelii verbo præscripsit, ut mala vitemus, & ex adverso virtuti studeamus: hæ sunt vestes acu pictæ, quibus spirituales sponfam ornata esse, Regius Propheta asserit, Psal. 45. v. 14. Quod si igitur ipsi morem gesserimus, Rex nos tandem introducet in cubiculum genitricis suæ, Can. 3. v. 4. ut sponsa ipsius simus in sempiternum, Of. 2. v. 19.

Ejusmodi præclarum exemplum habemus in prælecto Evangelio, ibi Christus Apostolis suis, nobisque omnibus varias vitæ regulas commendat, quas studiosè animadvertere, & vitam nostram iis exornare debeamus. Propterea quoque absque proximiori præfamine illud aggrediemur, & ex instituto nostro ex eo delibabimus:

I. Ἀρθρον προλογίου sive *notitiam nostri.*

II. Χριστολογίου sive *notitiam Christi.*

J. J.

Exegetis.

Quemadmodum illis, qui in collegium opificum adsciscuntur, certa statuta & leges præscribuntur, quas observare coguntur, qui tribus suæ privilegiiis frui volunt: Sic Christus cœlestis Magister & tribunus noster, posteaquam nos in beatum Electorum ordinem adoptavit, certas leges nobis præfixit, & in diebus carnis suæ identidem repetivit, ut inter alia præfens Evangelium probat, quod propterea *Christianorum regula* non inconcinne appellari potest. Quamvis enim ex instituto legem prædicare non deberet, sed propterea unctus & missus esset, ut prædicaret captivis liberationem, & vincens apertionem carceris, Esa. 61. v. 1. attamen quoque non venit solvere legem, sed adimplere, Matth. 5. 17. Ideoque utrumque respexit, & ut scriba do-

ctus ad regnum cœlorum, de thesauro suo vetera & nova protulit, Matth. 13. 52.

Notitiam nostri hinc studere possumus, quando meditamur:

I. *Seriam misericordia commendationem.* *ἡλικία ἢ ἐπιτιμωσις*, estote ergo misericordes, ait Servator, sicut & pater vester misericors est. Quò ipso ejusmodi misericordiam requirit, quâ viscera quasi commoventur, & cor ad amorem & benevolentiam proximi inflammatur.

Hæc virtus illa est, quam Deus omnibus sacrificiis præponit, dicens: Misericordiam volo, Of. 6. v. 6.

Ubi hæc virtus abest, caritas nulla est. Qui habuerit substantiam hujus mundi, 1. Joh. 3. v. 17. Ubi caritas nulla, ibi quoque fides non est, fides enim per caritatem efficax, Gal. 5. v. 6. Ubi verò fides non est, salus nulla est. Impossibile enim est, sine fide placere Deo, Hebr. 11. v. 6. Ideò meritò admonet Christus: Estote misericordes, & quidem, sicut pater vester misericors est.

In quibus verbis, non corvos Eliæ, 1. Reg. 17. v. 4. seque neque leones Danielis, Dan. 6. v. 2. neque canes Lazari nobis proponit. Sed nec exemplum Hiobi, Job. 29. v. 12. 15. Emedmelech, Jer. 38. v. 9. Obadiæ nobis commendat, 1. Reg. 18. v. 4. Verùm Dei patris cœlestis, & ita nos omnes relegat ad arborem misericordiæ, cujus proceritas non modò contingit cœlum, ut arbor, quam Nebucadnezar in visione vidit, Dan. 4. v. 8. sed per omnes cœlos, Esa. 40. v. 12. in fines terræ, Psal. 48. v. 11. Ut breviter dicamus, ostendit nobis patrem misericordiarum, 2. Cor. 1. v. 3. De quo Siracides cum admiratione quærit: Quis adjiciet enarrare misericordiam ejus? Miseratio hominis circa proximum suum, misericordia autem Dei su-